





DISPUTATIO  
 Totius Encyclo-  
 pediae Philosophicae naturam  
 ως εν σωόψδ exhibens.

Quam  
 In nomine S. S. Trinitatis

PRÆSIDÈ

M. ANANIA WEBERO Lindenh.  
 Saxone

LAVRENTIUS DONNER Zirgesb. Palat.

In celeberrima Lipsiensi Academia ventilandam proponit

Ad diem 10. Decemb.

Anno CHRISTI JESU

JesVs ChrIstVs seMper sVIs aDest.

L I P S I Æ

Excudebat ANDREAS OSVVALDUS.

Anno M, DC. XVIII.



mg, dupli  
 matices p  
 percipi po  
 z Rhetoric  
 e general  
 s confirma  
 pateat. In  
 cerc. Meta  
 elij Aristo  
 yf. D. Me  
 Logic.

ILLUSTRIBUS ET GENEROSIS-  
SIMIS DOMINIS

Dn. ALBERTO, &  
Dn. CAROLO,

DOMINIS à Lympurg, Dn. Dn. in Gail-  
dorff & Schmidelfeld, S. S. Roman. Imper. Pincernis  
Hæreditariis semperq; Liberis &c. Dn. Fratribus  
Germanis &c. DN, DN, suis clementissimis,

*Exercitium hoc aliquale Philosophicum*

*humiliter & submissè*

*strenua loco*

*dicat & offert*

Laurentius Donner.

Anno M. DC. LXXIII.

# THEOREMATA PHILOSOPHICA.

## I.

**P**hilosophia amor est notitia aliqua <sup>1. I. manud.</sup>  
(inquit Lips.) etiam adolescentia <sup>dis. 2.</sup>  
addiscenda est, neque ulla etas ei im-  
matura.

Cum enim unum tantum sit ho-  
minis proprium Bonum, Ratio nem-  
pe, noscenda utiq; & colenda mature  
illa erit, summoq; opere addiscenda, nec semel gustata Phi-  
losophia dulcedine statim deserenda; quin potius ita re-  
colenda & revolvenda; ut neque juvenis (quemadmodum  
idem ibidem testatur) aliquid differat philosophari, neque  
senex defatigetur; praesertim cum nullus homo immatu-  
rus aut vietus & effaetus sit ad Anima sanitatem, cujus <sup>Cic. l. 2. &</sup>  
medicinam non incommode dixerunt Veteres Philoso- <sup>3. Tusc.</sup>  
phiam. Unde profecto non recte non agere possunt ii, qui <sup>quaest.</sup>  
sibi Philosophiam optime habent commendatam, illique  
non modo eandem legendo aliquid temporis tribuunt,  
verum etiam ad eam melius imbibendam differendo  
tempus non exiguum insument, quippe quae facit ut ad  
sublimiora, & captum nostrum excedentia (divinarum  
scil. literarum cognitionem) citius perveniamus, imo fa-  
cilimam quasi sternit viam, qua ceu manuctore multo  
citius, multoq; facilius pertingimus ad id, ad quod vel per  
aetatem nunquam, vel per longum bene tempus pervenif-  
semus. Hisce ponderatis, & nobis animus est Generalem  
Philosophiae naturam, velut in Synopsi, ad placide disse-  
rendum proponere.

*Philosophia vox origine græca est, & dicitur*  
*ἀπὸ τῆς Φίλης καὶ σοφίας.*

Philosophiæ appellationem à Pythagora introdu-  
 ctam esse retulerunt Antiqui, & quidem Modestiâ ejus,  
 quâ cum cæteris cognitione & doctrina reliquos superan-  
 tibus noluit σοφός sapiens nuncupari, ob id, quòd quorun-  
 dam arrogantiam in vocabulo σοφός, Sapiientis, quod homi-  
 ni propter intellectus imbecillitatem & rerum tractanda-  
 rum difficultatem, haud conveniret, deprehendisset: sed  
 φιλόσοφος, Amicus & studiosus sapientiæ. Animadverten-  
 tes nonnulli, nomen hoc arrogantiam sapientum in fu-  
 num redigere, peculiaremquæ sapientiæ dignitatem mon-  
 strare, & illi renuerunt appellitari sapientes, verùm (sicut  
 Pythagoras) sapientiæ amici & studiosi, unde tandem Phi-  
 losophia ἀπὸ τῆς Φίλης καὶ σοφίας composita) à Cicerone defini-  
 ta fuit Studium sapientiæ.

*Appellatio Philosophiæ sumitur 1. ἀκρίτως, & sic*  
*iterum vel nimis latè, vel nimis angustè.*

Nimis latè capitur pro omni doctrina, quæ hominis  
 studio & industriâ acquisita est; unde comprehendit  
 omnes artes tam liberales, quam mœchanicas, ut & alias  
 disciplinas, tam superiores facultates, quam scientias Phi-  
 losophicas. Sic utitur eâ Aristot. 6. Eth. c. 7. Sic etiam 1.  
 Metaph. c. 7. dicitur Aristoteli Philosophus, qui omnia scit,  
 sive sit intentionale, sive reale, sive artificiale.

Nimis angustè autem accipitur pro sola Metaphysi-  
 ca, 4. Metaph. c. 2. t. 5. & c. 3. t. 8. 1. Metaph. c. 4. 2. Pro disci-  
 plinis saltem Theoreticis, 6. Metaph. c. 1. 3. Pro disci-  
 plinis practicis solis, ut quando Plato definit Philosophi-

am meditationem mortis. 4. Sumitur pro omnibus  
partibus Philosophiæ, seclufâ mathematicâ scientiâ l. 4.  
Met. c. 2.

IV.

2. *Κυρίως* accipitur pro illis disciplinis, quæ ad sapien-  
tiam humanam perficiendam pertinent, & sic vicissim  
vel *ἡμετέρας* vel *εἰδικῶς*.

*Γενικῶς*; quatenus ab Academicis & Stoicis pro disci-  
plinis intentionalibus & realibus, sive secundario sive pri-  
mario mentem perficiant, usurpatur. unde Cic. i. Tuscul.  
quæst. Hanc perfectam Philosophiam semper judicavi,  
quæ de maximis quæstionibus posset copiosè ornateq;  
dicere. *Εἰδικῶς* verò; quatenus eas disciplinas notat, quæ ad  
sapientiam humanam perficiendam primario pertinent,  
ut patet ex 2. Metaph. c. i. 1. Top. c. 2.

V.

*Antequam accedamus ad ipsam Philosophiam,  
specialiter & verè sic dictam, quia instrumentales ma-  
gnoperè sublimioribus illis studiis inserviunt, de iis  
pauca prælibabimus.*

Constituunt enim vulgò duplices disciplinas philo-  
sophicas, Objectivas, quæ res ipsas in natura positas, tan-  
quam objecta intellectiōnis nostræ tractant; & Directivas,  
quæ, ut benè possit circa illas reales versari, certis eam  
instrumentis dirigunt & ordinant. Unde hoc pacto ad  
scientiarum illarum contemplationē egregiè conferunt.

VI.

*Tales vulgò tres numerantur, Grammatica, Lo-  
gica, Rhetorica.*

Sunt enim operationes hominis duæ præcipuæ: In-  
tellectio sive Ratio, & Rationis significatio, quæ fit verbis

A 3

& scri-

& scripturâ five literis. Ex Arist. c. I. §. 2. *ἡ ἐρμηνεία*, ex quibus tres hæ artes profluunt. Nam significationem dirigunt Grammatica & Rhetorica, Intellectionem verò Logica.

VII.

*Grammatica est ars benè loquendi.*

Grammaticæ (à primis artis initiis, id est, literis, quas *γράμμα* notat, dictæ) duæ sunt partes, 1. est Etymologia, quæ prior grammaticæ pars est, tradens discrimina casuum in dictione, & complectens rationem singularum dictionum, secundùm partes orationis, quæ vel declinabiles; eò quòd earum dictiones variè inflectuntur & formantur per casus, tempora, personas, modos & numeros: ut, Nomen, Pronomen, Verbum, Participium: vel indeclinabiles, sic dictæ, quia earum dictiones non variè possunt inflecti, sed semper eadem manent: ut Adverbium, Præpositio, Conjunctio, Interjectio. 2. Syntaxis, quæ est secunda pars Grammaticæ tradens rationem certam vocum jungendarum & disjungendarum ad faciendam orationem. Orthographia & Prosodia sunt harum partium particulæ.

VIII.

*Logica est ars Syllogistica dirigens mentem in cognitione veritatis.*

Hujus pars, (si consideretur ut totum integrale) alia est generalis, Syllogismum in formâ tantùm considerans, alia specialis, Syllogismum in materia; eaq; vel necessaria, vel contingenti attendens. In parte generali primo omnium occurrit Subjectum, quod res sunt omnes, per decem Categoriarum classes dispositæ, ad quas rectè cognoscendas & intelligendas, duo, antequam de iis agatur, enodanda veniunt, quorum unum inservit Collocationi re-

rum



rum per conceptus in prædicamentis: ut Antepædicamenta, quæ sunt explicationes vocabulorum quorundam, quæ continent præparationem ad prædicamenta melius intelligenda. Horum tria sunt, I. Definitiones Homonymorum, Synonymorum, Paronymorum. II. Duæ Divisiones 1. Eorum quæ sunt. 2. Eorum quæ dicuntur. III. Tres regulæ, quarum prima explicat Attributa & Subiecta Homogeneorum; Secunda Differentias heterogeneorum; Tertia differentias generum subalternorum. Alterum facit ad Distinctionem per gradus: ut Prædicabilia, quæ sunt *νοηµατα* secunda, sive universalia, quibus ostenditur, quodnam noëma in prædicamentis comprehensum altero sit superius vel inferius, & quomodo unum de altero prædicari aptum natum sit. Horum sunt quinque: Genus, Differentia, Species, Proprium, Accidens. His declaratis, quid sint Prædicamenta, patescit, aliud scilicet, nihil, quam summa quædam genera, & veluti tabulæ, in quibus sub conceptibus res ordine dispositæ menti obijciuntur effectiois Logicæ gratia. Horum decem sunt: Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs, Habere. Quæ omnia, ut memoriæ melius infigi possent, hoc disticho comprehenderunt Veteres:

*Arbor, sex servos fervore refrigerat ustos,*

*Ruricras stabo nec tunicarum ro.*

Ad meliorem horum Prædicamentorum Intelligentiam dantur etiam Postprædicamenta, quæ sunt admonitiones ad perfectiorem cognitionem ipsorum prædicamentorum, quorum quinque habentur: Opposita, quæ vel utraq; extrema positiva habent, ut Contraria, & Relativè opposita; vel non habent: ut Contradictoriè & Privativè opposita. 2. Prius. 3. Simul. 4. Motus. 5. Habere. Post Categoriarum doctrinam, statim sequi deberet Syllogismus.

At

At quia partium ipsius cognitio *δεῦν πάχου* requiritur, prius doctrina Enunciationis præmittitur, ubi agitur 1. De Nomine, quod est vox significativa ex instituto absq; temporis consignificatione, cujus nulla pars aliquid significat separatim; & Verbo, quod est vox significans ex instituto cum temporis consignificatione, cujus nulla pars aliquid significat separatim. 2. De Oratione, quæ est vox significans ex instituto cum temporis consignificatione, cujus pars significat aliquid separatim, non ut affirmatio aut negatio, sed ut dictio. Hæc est vel Enunciativa vel non Enunciativa. Ex quibus deinde multæ aliæ profluunt divisiones, ut & affectiones Enunciationis, quas recensere chartarum angustia non patitur. Ad ipsum ergò Syllogismum accedimus.

Est autem Syllogismus argumentatio, in qua positis quibusdam, diversum quiddam præter posita ex necessitate concluditur, propter talia posita. Consideratur hic respectu vel Formæ vel Materiæ. Ille vel Dicticus est, vel ex hypothese concludens. Dicticus principalem quæstionem concludit; Ex hypothese verò syllogismus principalem quæstionem non concludit. Partes Syllogismi simplices sunt tres termini, Major, Minor & Medius; Complexæ verò duæ Propositiones & Conclusio: Media autem sive principia *ἀπὸσθεως* syllogismi sunt Figura & Modus. Figura triplex est: I. cùm in medio terminus majori subicitur & de minore prædicatur. II. Cùm medius terminus in utraq; propositione prædicati locum tenet. III. Cùm Medium in utraque præmissa subjectum est. Modus numerum variat: In prima enim & secunda figura, ubique sunt quatuor modi, in tertia verò sex reperiuntur. Syllogismis secundæ & tertiæ figuræ, quoniam accidit Imperfectio, conciliatur probatio 1. per Reductionem, quæ est  
Syllogismi

Syllogismi secundæ aut tertiæ figuræ in Syllogismum primæ figuræ transformatio. Estque directa vel indirecta. 2. Per Expositionem, quæ est declaratio probationis Syllogismi in tertia figura, quâ per singulare sensui manifestum & sub medio termino tanquam toto comprehensum evidentiâ probationis Syllogismi ostenditur, eadem illata conclusionem, quæ per medium terminum antea erat probata. Syllogismo huic simplici accidunt I. Potestates, quarum sex sunt: Potestas plura concludendi; Circulus, Conversio syllogismorum. Deductio ad impossibile. Potestas concludendi ex oppositis. II. Imbecillitates, quarum itidem sex sunt: Petitio quæsitæ: Falsum propter hoc non accidere, Falsa ratio, Catosyllogismus, Elenchus, Deceptio. Altera argumentationis Logicæ species est Inductio, quæ suam inferendi vim ex Syllogismo haurit. Huic adjungitur I. Abductio. 2. Instantia. Syllogismo vero & Inductioni apud Rhetores respondent Enthymema & Exemplum. Et tantum de syllogismo respectu formæ, sequitur syllogismus consideratus ad certam materiam.

Estque vel Analyticus vel Topicus. Analyticus sive Proprius, iterum duplex est, vel Demonstratio, vel syllogismus Didascalicus. Demonstratio est syllogismus faciens scientiam ex veris, primis & immediatis, & notioribus & prioribus, & causis conclusionis. Estque vel Demonstratio  $\xi \delta \nu \tau \iota$ , qua ostendimus rem esse vel per causam remotam, vel ab effectis & signis. Altera  $\xi \delta \iota \acute{o} \tau \iota$ , qua affectio de subjecto per propriam & immediatam causam demonstratur. syllogismus Didascalicus est, qui ex propriis artium, & practicarum disciplinarum principiis ratiocinatur. unde saltem locum habet, in artibus & disciplinis practicis.

Syllogismus Topicus est, qui ex probabilibus infert  
B conclusio-

conclusionem. Sunt autem *ἰδοζα*, quæ videntur omnibus  
aut pluribus aut sapientibus, atque his vel omnibus, vel pluribus,  
vel spectatissimis. Illis opponuntur *ἰδοζα*, unde Dia-  
lectici officium esse videtur disputando ex probabilibus, eò  
laborare, ut quæ quæstionis pars vera vel falsa existat, appa-  
reat. Possunt autem ea, ex quibus disputat, ad quatuor re-  
duci genera. I. est Accidens, in quo disceptatum, an verè  
aliquid prædicetur nec ne. II. Genus, in quo quæritur, an  
prædicatum, quod de Subjecto effertur, sit genus, seu in-  
quid prædicetur nec ne. III. Proprium, quo disquiritur  
an aliquid ut proprium, & reciprocè de subjecto prædice-  
tur nec ne. IV. Definitionem, qua in definitiones inqui-  
ritur, an benè vel malè sint assignatæ. Consulatur ipse  
Aristoteles: His addimus Syllogismum sophisticum, qui  
ex iis, quæ videntur probabilia, nec sunt, collegit conclusi-  
onem (& peccatur in materia) aut videtur colligere, nec  
tamen colligit (& peccatur in forma.) Sunt autem So-  
phistici Elenchi duplices: Quidam enim sunt in Dictio-  
ne: ut Æquivocatio, Amphibolia, Compositio, Divisio,  
Accentus, Figura dictionis. Quidam extra dictionem: ut  
Fallacia Accidentis, Fall. secundum quid, Fall. secundum  
non causam ut causam, Petitio principii, Fall. Consequen-  
tis, Fall. secundum plures interrogationes, Ignoratio elen-  
chi, Satis de Logica, qui plura desiderat, consulat ipsum  
Aristotelis organon.

IX.

*Rhetorica est ars benè seu ornatè dicendi.*

Hujus partes sunt duæ: Una, Constitutionis; Altera,  
exornationis. Constitutiva pars comprehendit Inventio-  
nem & Dispositionem. Inventio est argumentorum, qui-  
bus persuadere & fidem facere, itemque motum animis au-  
ditorum afferre conamur, artificiosa investigatio. Hujus  
finis

finis est 1. *miss*, Fides, quæ est firma opinio. 2. Motus, qui est animi incitatio, aut ad voluptatem, aut molestiam, aut metum, aut cupiditatem. Ad hunc consequendum valent Exordium & Peroratio. Ad illam faciendam, Narratio, Divisio, Confirmatio, Confutatio, plurimum possunt. Ut ita sex sint orationis partes. Exordium, Narratio, Divisio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio. Porro cum confirmatio nostrorum argumentorum sit expositio cum asseveratione; specteturque in ea omnis quæstionis genus, quid & quotuplex quæstio sit, quidque ei inserviat, abjungemus. Quæstio, quæ id totum, de quo agitur, complectitur, est duplex. Infinita, cui inservit genus Didascalicum. Finita cui varia pro differentia finitæ quæstionis succurrunt genera: Demonstrativum scilicet, cujus materia est laus & vituperatio: Deliberativum, cujus materia, Eligibilia & non Eligibilia. Judiciale, cujus materia est id, quod in controversiam vocatur. In qua materia attendendus Status, qui vel Conjecturalis, Definitivus, Qualitativus. Hic posterior continet Scriptum & Sententiam: Contrarias leges: Ambiguum: Ratiocinationem: Translationem.

Dispositio est apta rerum inventarum collocatio. Estque 1. Generalis, quæ ad omnia causarum genera refertur. Hæc vel Naturæ, in qua partes orationis eodem ordine ponuntur, & declarantur, quo supra commemoratæ fuerant: vel Iudicii, quæ pendet ex prudentia oratoris & causæ utilitate. II. Specialis, quæ peculiariter ad singula refertur genera, ipsasque orationis partes.

Exornatio, sive Elocutio est accommodatio verborum & sententiarum idonearum rebus inventis. Hujus partes sunt 1. Ornatus, quo distinctè, explicatè abundanter, & rebus & verbis illuminatè dicitur. Verbis inserviunt Tropi & Figuræ

figuræ concinnitatis. Rebus verò figuræ sententiarum, qua figurantur vel extra colloctionem, vel in colloctione, vel in amplificando corpore orationis ex locis Dialecticis. II. Decorum, quod est oratio propositæ materiæ atque personæ conveniens. Cernitur hoc vel in Personis I. Oratore, ut observet, ne ea dicat, quæ vel ipse personam, vel vocationem, vel ætatem excedunt. 2. Auditoribus, si singulis dicantur convenientia, pro oratione temporis, ætatis, dignitatis, multitudinis, atque vocationis, vel in Rebus, ut & his convenientia dicantur, non minora vel majora, eaq; explicentur, quæ ad rem ipsam pertinent. Et tantum de disciplinis instrumentalibus, supersunt disciplinæ reales, quas rudi Minerva in seqq. theor. breviter percurramus.

X.

*Philosophia est doctrina de rebus contemplandis  
& agendis ad intellectum hominis in cognitione veri,  
& voluntate ejus in ratione boni perficiendam.*

Intentionales disciplinas jam vidimus, sequuntur Reales, quæ non modum sciendi, sed scientiam & rem ipsam respiciunt. Quæ sunt in duplici differentia, quædam enim Theoreticæ existunt, quædam verò Practicæ.

XI.

*Theoretica Philosophia est doctrina de rebus necessariis contemplandis ad intellectum hominis in cognitione veri perficiendum.*

Estq; vel Prima, vel Secunda.

XII.

*Prima est Metaphysica, quæ est scientia, quæ considerat Ens, quatenus Ens est, & quæ Enti per se insunt*  
4. Metaph. c. 1.

Dicitur

Dicitur aliàs Sapièntia 1. Met. c. 1. & 2. Philosophia  
*κατ' ἐξοχλῶ*. 4. Metaph. c. 2. & 3. & 6. Met. c. 1. Item prima  
Philosophia 1. Metaph. 1. Etiam Theologia 6. Metaph. 1.  
lib. 11. Metaph. c. 6. *κατὰ συνειδοχλῶ*. Habet autem duas par-  
tes, aliam Generalem, aliam specialem. Generalis de Ente  
in genere ejusq; affectionibus & principiis generalibus  
speculatur. Ens est aliquid reale, positivum, sua constans  
essentia. Principia habet 1. Cognoscendi, inter quæ pri-  
mum locum obtinet: Possibile est, aliquid esse & non  
esse. 2. Essendi, nempe essentiam: per hanc enim sua at-  
tributa, & modos de Ente demonstrat.

Affectiones (sive rectius Modi) Metaphysices 1. Sunt  
vel unitæ, vel Divisæ, Illæ cum Ente reciprocantur citra  
disjunctionem; hæ non item. 2. Sunt vel Primæ vel à Pri-  
mis ortæ. Sic modi uniti & primi sunt Unum, verum, Bo-  
num, & Perfectio. Divisi verò, & ab unitate orti: 1. Simplex  
& Compositum: 2. Totum & Partes. 3. Singulare & Uni-  
versale. 4. Rerum identitas & diversitas, sive Distinctio.  
Item secundùm Perfectionem fiunt Distributiones Entis  
sequentes. 1. quando Ens aliud est Completum, aliud In-  
completum: 2. aliud finitum, aliud Infinitum. 3. aliud  
Actu, aliud potestate. Ubi ad considerationem Actus  
pertinet Existèntia, Duratio & esse alicubi. 4. Aliud con-  
tingens, aliud necessarium. 5. Aliud Permanens, aliud suc-  
cessivum. & 6. aliud absolutum, aliud respectivum: ad  
quod respectivum refertur porrò Principium & Principi-  
atum, sub quo est causa & causatum. 2. Subjectum & Ad-  
junctum, signum & signatum, sub quo mensura & mensu-  
ratum, Et deniq; Prius, Posterius, Simul.

Pars specialis, agit de ipsius Entis speciebus analogis,  
v. g. Substantia, quæ est Ens proprium esse, atq; per se

existentiam habens. Accidente, quod est Ens proprium esse non habens, sed alii inexistens.

XIII.

*Secunda contemplatur rem in specie, versaturque vel circa corpus, vel circa quantitatem corporis.*

Illa, quæ circa corpus versatur, dicitur Physica. Hæc verò, quæ circa Quantitatem, Mathematica.

XIV.

*Physica est scientia, quæ contemplatur corpus naturale, quatenus naturale.*

Ejus pars alia est Communis, alia Propria. Communis agit de corpore naturali communiter considerato, in principiis & affectionibus communibus. Sunt autem tria principia: Materia, quæ est subjectum in quo cuncta generantur primum, & in quod omnia postremò dissolvuntur. Forma, quæ dat esse rei. Privatio, quæ est Absentia formæ in materia cum aptitudine ad eam recipiendam (Materia & forma sunt principia Constitutionis corporis naturalis. Privatio autem est Transmutationis.) His expositis affectiones declarandæ veniunt, quæ duplicis sunt generis, aliæ internæ, ut motus & quies, quantitas & continuum. Aliæ externæ, ut locus & tempus, & quæ his annexa sunt. Pars propria est, quæ corpus considerat naturale in specie. Hæc pars pro diversitate specierum corporis naturalis, quamvis in diversas partes distingui posset, ad hæc novem tamen commodè referri potest, quorum I. agit de mundo, qui omnia corpora naturalia reliqua in se comprehendit, & dicitur vulgò κοσμοποιία. II. de corporibus simplicibus, ut sunt cælum & quatuor elementa Arist. lib. quat. de cælo, vulgò βρανογραφία & στοιχειολογία. III. De mixtis corporibus in genere:



proprium  
ersatur  
ris.  
yfica. Ha  
corpus m  
Comm  
derato, i  
m tria p  
ta gener  
vuntur. E  
a forma  
(Materia  
s natura  
ofitis affe  
generis, a  
nuum, Al  
a sunt. Pa  
specie, Ha  
ralis, qua  
ovem tam  
mundo, q  
rehendit,  
licib, ut  
cælo, vul  
rporibus  
gener

genere: Ubi considerantur & declarantur propria principia corporum mixtorum, Arl. de his lib. duob. de generat. & corrupt. differit. I V. De tractatione imperfectè mixtorum: ut sunt meteora, ex vaporibus vel fumis genita. De his agit Arl. lib. pr. meteor. V. De mixtis perfectis homoneis in genere. Arl. lib. 4. meteor. dicitur aliàs μετεωρολογία. VI. Fossilia sese offerunt, quæ secantur in metalla, lapides, terras, & succos concretos: solet frequentius μεταλλογραφία dici hæc pars. VII. Locum sibi vendicant Animata vegetabilia; dicitur hæc pars Φυτογραφία. VIII. obtinent animalia bruta ζωογραφία. IX. denique loco offert sese consideratio hominis ( Ανθρωπολογία) quæ in duas partes dispesci potest, quarum una considerat præstantissimam structuram partium corporis humani σωματομεία, altera de Anima tractationem suscipit, & appellitari solet ψυχολογία.

XV.

*Mathematica est scientia, quæ in speculatione  
Quantitatis, ut talis est, versatur.*

Disciplinæ Mathematicæ aliæ sunt puræ, aliæ mixtæ. Puræ, quæ tantum in consideratione Quantitatis versantur, & nullum respectum obtinent ad subjectum illius. Hæc duplices sunt: Discretæ, quas considerat Arithmetica. Continuæ, quas Geometria suæ facit considerationis, occupata circa magnitudinem, ejusque species atque affectiones. Disciplinæ Mathematicæ mixtæ ipsum subjectum respiciunt.

Ob considerationem quantitatis & continuæ & discretæ in pluribus, subjectis plurimæ disciplinæ sunt mixtæ adipiscentes

adipiscentes denominationes suas à variis subjectis. Sic Astronomia circa cœlum, ejusq; partes versatur. Geographia terræ latitudines, longitudinesq; depingit. Optica visivas lineas perpendit. Musica quantitates & intervalla expendit & observat in sono. Harum quædam ex Arithmetica scaturiunt, ut Musica, quæ vicissim distingui potest in Metricam, Harmonicam & Rythmum, quænam ex Geometria dependent: ut stereometria, Optica, Astronomia.

XVI.

*Practica Philosophia est doctrina de rebus contingentibus, quæ sunt ἰφ' ἡμῶν ad perficiendam voluntatem in actione boni moralis.*

Practica dicitur à fine. Nam ejus finis οὐκ ἔστι γνώσις, ἀλλὰ πράξις. 1. Eth. c. 3. sive ἔργον, ut loquitur Philosoph. 2. Met. c. t. 3. Estq; hæc vel generalis vel specialis. Generalis dicitur Ethica, specialis, Politica, & Oeconomica.

XVII.

*Ethica est prudentia mores hominis informans ad felicitatem adipiscendam.*

Finis hujus est Felicitas, quæ dicitur Εὐδαιμονία, & est εὐεργεσία τῆ ψυχῆς λογικῆς κατ' ἀρετὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην ἐν βίῳ τελείῳ.

Subjectum est Animus hominis, quatenus beandus & imbuendus est ad virtutum exercitium c. 13. 1. 1. Eth. Nec tamen omnis animæ pars est subjectum felicitatis, sed λογικὴ rationalis tantum, eaq; vel ἀπλῶς, & ut Eustratius loquitur, καθ' ὑπαρξιν secundum essentiam, seu ut idem ait κατὰ μετέξιν, per participationem, λόγον ἔχουσα. Media sunt virtutes morales, sive ἠθικαί. Est autem virtus ἕξις θεωρητικὴ

ρελην εν μεσότητι ἔσει, τῆ πρὸς ἡμᾶς ὡρισμένη λόγῳ καὶ ὡς ἂν φερί-  
μῳ οἰσθεν.

Actiones virtutum sunt duplices: alia antegrediun-  
tur illarum habitū, quæ sunt vel remotæ, ut natura, assue-  
factio, & doctrina; vel Propinquæ, *προκαίρεσις* bona; vel pro-  
ximæ, ut actiones morales: alia consequuntur, ut effectus.  
Actio moralis iterum vel est simplex vel mixta. Illa vel in-  
vita vel spontanea; Hæc vel laudem, vel vituperium, vel  
veniam, vel non veniam meretur &c. De quib. plur. in  
Eth. Aristotelicis. Speciatim virtus vel est fortitudo, vel  
temperantia, vel Liberalitas, item magnificentia, magna-  
nimitas, modestia, mansuetudo, humanitas, Veracitas, Ur-  
banitas, Amicitia & Iustitia, Virtus item Heroica, & semi-  
virtutes, &c.

XVIII.

*Politica est prudentia constituendi & admini-  
strandi de legib. & morib. civitatem consequendam feli-  
citatē publicæ gratiā.*

Subjectum politicæ est civitas, quæ est con-  
munitio perfecta plurium vicorum, necessariarum rerum in-  
structa & constituta quidem vivendi causâ, sed benè vi-  
vendi causa subsistens. Habet ergo partes consti-  
tuentes vicum & domum. Membra civitates sunt  
cives.

Finis politicæ intermedius est Respublica *πολιτεία*,  
quæ est ordo civitatis & magistratus, præcipue verò  
summus magistratus. Hæc est vel Monarchia, cui oppo-  
nitur Tyrannis; vel Aristocratia, cui opponitur Oligar-  
chia; vel denique Politia in specie sic dicta, cui opponitur  
Democratia. Harum specierum affectio est majestas  
summa,

Summa, quæ utitur suis officialib., qui sunt vel ordinarii, ut Senatores, Magistratus Iudices, ac censores, vel Extraordinarii, ut Curatores.

Media sunt Leges, ubi Lex est *vñs ad C' op'ξewc.* 3. Polit. c. II. & arcana imperii, quæ sunt callida quædam instituta, quibus jus Majestatis continetur salvum. His annectuntur causæ Rempublicam vel corrumpentes. vel conservantes. Ut enim Respub. floreat, vel prævertenda est ejus corruptio, vel curanda.

XIX.

*Oeconomia est prudentia domum seu familiam bene procurandi & administrandi.*

Ergò Oeconomie subjectum est domus *οικη* seu familia: cujus partes sunt homo familiaris, & Res sive possessio familiaris. Finis ejus est *κτῆσις* acquisitio domus, *αγαρησις* & usus.

Media ad finem hunc accommodata sunt Leges, seu præcepta œconomica, virtutes privatæ vitæ complectentia, eaque considerantur vel quoad homines familiares, vel quoad possessionem familiarem. Et sic finimus bono cum DEO, cui in sempiterna secula sit laus, honor & gratiarum actio, circulum Philosophicum, adjungentes corollarii loco unum atque alterum *ζητηματα*.

I.

*An sit aliquis usus Philosophiæ? Aff.*

II.

*An sit usus Philosophiæ in Theologia? Aff.*

19

III.

*An Pbilosophia & Theologia invicem sibi contrari-  
entur? N.*

IV.

*An ratio humana sit principium Pbilosophiae? D.*

V.

*An homines in V. T. excoluerint quoq; Pbilosophiam.  
aff.*

F I N I S.



ordinari, v  
l Extrac  
or. 3. Pol  
r institun  
nectunt  
servante  
jus com

familia

seu  
& Res  
tio dom

Leges,  
omplecto  
familiar  
sic finim  
aus, hon  
djungent

III.  
An Philosophia O. Theologia in istis sibi contrariis  
centur VII.

IV.  
An alio hunc in se continent Philosophia & D.

V.  
An hunc in se continent Philosophia & Theologia

F I N I S



Op. var. 87<sup>6</sup>

V  
De

